Bibliothèque numérique

medic@

Le Tellier, Gilles - candidat / Martin, Jean - président. - An alia Nutritionis In Aegrotantibus, quam per os via ?

1593.
[Paris]
Cote : ms 73 n°232

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x02x0232

Quaestio Medica Cardinalitiis Disputationibus agitanda In Scholis Medicorum

Die Jovis 5 Idus Mart. Joanne Martin Moderatore sapientiss.

An alia Nutritionis In Aegrotantibus, quam per os via?

Animanti perfecto in quo jactura perpetua, quae sit humidi radicalis potu ciboque reparanda, ingressum et viam ciborum in corpus admittendi natura os concinnavit. Unde per vias quidem, alias publicas et communes omnium nutrimentorum, alias privatas et angustas alimentum ad singulas corporis partes defertur: siquidem in ore praemansum cibum subiturus concoctionis futurae praeparationem per oesophagum in ventriculum quasi quoddam in medio constitutum promptuarium illabitur, in quo tandem redactum donec plenaria absoluta concoctione in chylum fatiscat, per sibi continuas venas in quibus sanguinis aliquam adumbrationem capessit in hepar vehitur coquendum, ibidemque illicque sui παρεγχύματος ingenito calore facultateque insita in veram sanguinis speciem immutatum, justa proportione in quaslibet etiam reliquas particulas distribuitur.

Cujus absoluta distributio non prius est [illegible] ad futura quam in omnes corporis partes fuerit nutrientis substantia perlata qualitas, sanguis enim ex venis majoribus et amplioribus in angustiores venas cuique parti a natura tributas quasi derivatione quadam adductus fuerit, sensim commutatur ad earum naturam accedere per certa venarum capillarium oscula in omnes partis substantiam diffusus apponitur: tum demum concoctione assidua coactus continenter adhaerescit, ac naturae vi et universae partis substantia tamdiu permutationem subit, quoad ei perfecte et undequaque valeat assimilari, et expressam ejus naturam, substantiam atque temperamentum referre, ideoque nutritionis beneficio concoctionum omnium finis, summaque naturalium functionum animanti conservando inditarum absolutione.

Hunc a prima sui constitutione ita prognatum, ut undequaque illius corpus immune redderet symptomatum, ac morborum quibus perpetuo obnoxium subjacere, prudens fabricavit omnia quibus alligavit natura per communes venas, arterias, et nervos, per quas omnia perspiratum habere et conspirare confluxum, quo quidem arte suum opus ordinarie invadentibus morbis sic praepeditis ut alimentum haud assumere valeant in vivis conservare: siquidem ore vel oesophago ita male affectis ut in ventriculum haud quicquam ciborum deglutitorum prolabi concedatur aliam suppeditat viam per anum scilicet dum nutrientia infunduntur enemata quae ab intestinis delata in ventriculum in quo chyli, tum in hepar ubi sanguinis, postremo in membra in quibus etiam in substantiam sui sanguinis commutatio, aut saltem in intestinis ipsis χύμωσις, in venis αἱμάτωσις conficitur et quibus corpori morbo languenti aliquod accedit nutrimentum.

Neque solum in hoc uno remedii genere salutem aegrotantium natura provida collocavit, quando et per cutis poros substantiam aliquam animanti nutriendo aptam assumi posse sine certa contentione fas, quas fieri aliquibus temporibus et multi habitus in venas incidentibus concoctione ventriculi non praegressa sibi conficiatur: unde alimentum ab externa superficie ad interiora prolicitur, quod et multitudo ipsa pororum, et qui ad cutem sunt arteriarum pulsus, et vis attrahendi membrorum cuique parti insita intus deductum ubi negotio conficiatur.

Cum etiam gratis odoribus recreatam naturalem facultatem aliquamdiu subsistere variis experimentorum generibus compertum habetur, necnon in mulieribus praegnantibus [illegible] cum alimentis penuria videtur abortus instare periculum, imposuisse umbilico (propter [illegible] vicinium) emplastra nutrientia (penetrantibus admixtis qualia sunt [illegible] et aromata in pulverem redacta quo facilius eorum via ad interiora pelletur) periculi prospere successisse testatur experientia, si praeterea non in uno duntaxat remedii genere salus collocetur aegrorum, sed et cum clysmatis per anum injectis, emplastra quoque umbilico imposita, et succi per nares adhibeantur, quae tamen non mediocre sibi aegrotanti levamen allatura, semper tamen asserimus conandum ut aut per os quidpiam in ventriculum infundatur alimenti, ex hoc enim certum est uberius nutrimentum corpori et membris accessurum.

Ergo alia Nutritionis In Aegrotantibus quam per os via.

Asserebat Aegidius Le Cellier Lotharus Nanceanus. anno. 1593.

F.M.P. Bibliothèque